



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

11 Vtrum hoc sacramentum per solos Episcopos detur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

tentur, quasi per alium in pugna spiritali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc Sacramentum confertur homini per se factus spiritualis aetatis (sicut dictum est) ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, suscipitur, quasi ad hoc spiritaliter imbecillus & puer.

Ad primum ergo dicendum, quod licet ille, qui confirmatur, sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritaliter.

Ad secundum dicendum, quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est scriptus militia Christiana. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militia Christiana ascriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dicitur Colos. 3.) in Christo lesu non est masculus & femina. Et ideo non differt virum masculus vel feminam tenere aliquem in Confirmatione.

COMMENTARIUS.

Postquam D. Thom. tractavit de iis, quibus dandum est hoc Sacramentum, actum iam de iis, a quibus est ministrandum, praemittit sermonem de accidentali ministerio, quod exhibetur ab eo, qui confirmandum tenet, qui patrinus vel sponsor, seu susceptor dici potest, sicut in Baptismo dictum est. De quo susceptore valde antiqua est Ecclesiae traditio & consuetudo, ut constat ex Igin. Pa. in cap. In catechismo, de conf. d. 4. ubi dicit, non esse Ecclesiae Romae consuetudinem, ut idem sit eiusdem personae patrinus, seu susceptor in Baptismo & in Confirmatione: quamquam ob necessitate in id fieri possit, & in cap. sequente ex Leo. P. sicut in Baptismo, ita & in Confirmatione dicitur, vnum tantum debere esse susceptorem, vel virum vel feminam: rursusque in sequente cap. additur ex Conc. Mogunt. huiusmodi patrinum debere esse confirmatum. Ratio autem huius caeremoniae reddi potest, vel ex sola significatione, vel etiam ex ministerio: Nam probabile est, solum adhiberi huiusmodi patrinum ad ornatum, & ad significandum (ut recte D. Thomas explicat in art.) confirmandum esse tyronem in spirituali militia: ideoque indigere, ut alicuius arte & consilio doceatur, ac muniat, unde etiam probabile est, huiusmodi patrinum introductum, seu institutum esse ab Ecclesia, ut hoc spirituale ministerium circa confirmationem exerceret.

Dubium autem esse potest, an huiusmodi obligatio sit patrino imposita sub precepto. Hinc enim videtur suo muneris annexa: alias cur spiritualis pater vocatur, & alium in filiolium suscipere dicitur, capit. In Baptismo, de conf. dist. 4. Item in Pontii. Roman. dicitur, Patrini obligari ad informandum confirmatum bonis moribus & operibus. Aliunde autem videtur, eum proprie non teneri ad huiusmodi instructionem, tum quia nullum est ius, ex quo id colligatur: omnia enim, quae hanc obligationem indicant, loquuntur de solo susceptore Baptisnatis, ut patet ex supra tractatis, quae 67. artic. 7. & 8. tum etiam, quia neque D. Thom. neque alij authores huius obligationis meminerunt, tum denique, quia non est omnino eadem ratio, quae in Baptismate: nam qui confirmantur regulariter, sunt iam adulti, & habent etiam alium Baptisnatis susceptorem & fidei iussorem, a quo instrui debent. Unde regulariter, & moraliter dicendum videtur: in aliquo autem casu necessitatis posset talis obligatio intercedere. Appellatio ergo patrini in hoc sacramento sumpta est ex ipso caeremoniali ministerio tenendi confirmatum, ex quo etiam oritur spiritualis quaedam cognatio iuxta antiqua iura, ut colligitur ex cap. Si quis, & c. De his, 30. quae 1. & ex cap. Si quis, 30. quae 1. & ex cap. 1. De cognatione spirituali in 6. quam cognationem Franc. Suarez in Tom. 3.

vna tantum persona contrahit regulariter, quia vnum tantum potest esse patrinus huius Sacramenti, ut dictum est: si vero de facto plures teneant confirmatum, omnes hanc cognationem contrahunt, ut statuitur in c. Quamuis, de cognit. spir. in 6. hoc autem & alia, quae pertinent ad hanc cognationem, limitanda sunt iuxta statuta in Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione matrimonij, & declarata supra dict. quae 67. art. 3. addunt etiam aliqui, eum, qui non est confirmatus, si alium teneat in confirmatione, non contrahere hanc cognationem. Ita tenet Victoria in Summa, nu. 51. cum Angelo eodem verbo, nu. 11. Tabiena §. 7. Astenfi tit. 7. artic. 8. Contrarium tamen tenuit Syluester verb. Matrimonium §. quae 7. num. 12. qui citat Summam Rosell. & Soto in 4. d. 42. quae 1. art. 1. quia sufficit, inquit, character baptismalis, ut susceptor sit capax huius cognationis. Nihilominus verior apparet prima sententia, quae non fundatur in incapacitate, sed in hoc, quod ille reuera non est susceptor, cum non habeat condiciones ab Ecclesia requisitas ad illud munus. Unde in praedicto cap. In baptismate & quae dicitur, non posse hominem non confirmatum alium tenere in Confirmatione, eumque in filiolium suscipere: sicut non potest non baptizatus in baptismate. Atque hinc colligitur, verum esse quod docuit Syluester verb. Confirmatio diuina, nu. 5. scilicet, peccare eum, qui cum non sit confirmatus, alium in Confirmatione tenet, non autem explicat, quale hoc peccatum sit. D. Th. autem hic dicens, non confirmatum non debere esse Confirmationis patrinum, significat non esse graue seu mortale peccatum, probabile tamen est ex suo genere esse mortale, quia haec caeremonia est grauis & recepta ab Ecclesia, unde sicut illa omnino omittitur, ex suo genere est graue peccatum, ita etiam eam irritam facere.

Conc. Trid.

Victoria. Angelus. Tabiena. Syluester. S. Rosell. Soto.

ARTICVLVS XI.

Vtrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit?

Ad vndecimum sic proceditur. Videtur, quod non solum Episcopus hoc Sacramentum conferre possit. Gregorius enim scribens Lanuario piscopo dicit. Peruenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrisimate tangere eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, & nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, vel Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrisimate tangere debeant, concedimus. Sed illud, quod pertinet ad necessitatem Sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur, quod non sit de necessitate huius Sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

4. d. 7. q. 3. a. 1. q. 2. & dist. 23. q. 1. a. 1. q. 2. d. 25. q. 1. a. 1. co. 6. conc. 6. 60. quod. 10. a. 7. Lib. 3. epistol. 26 in fin.

2. Praeterea, Sacramentum Baptismi videtur maioris efficaciae, quam Sacramentum Confirmationis, quia per Baptismum fit plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad penam, quod non fit in hoc Sacramento. Sed simplex Sacerdos ex suo officio potest tradere Sacramentum Baptismi, & in necessitate quilibet etiam non ordinatus potest baptizare. Ergo non est de necessitate huius Sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

3. Praeterea, Summis capitulis, ubi secundum medicos est Episcopus ad elocutionem, sicut particularis, quae dicitur virtus cogitativa, est nobilior fronte, ubi est locus imaginativae virtutis. Sed simplex Sacerdos potest baptizatos ungere chrisimate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrisimate signare in fronte, quod pertinet ad hoc Sacramentum.

Episcopus. Tusciana. Campaniae. & hab. de cons. di. 5. ca. 4. Manuum quoque, & in 10. 1. Conc. Epistol. ad Eng. lib. 3. cap. 3.

Sed contra est quod Eusebius Papa dicit, Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum locum tenent.

Mm nent



ment, vnaquam perfici potest, aut fieri debet: nam si aliter presumpsum fuerit, irritum habeatur. & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnaquam reputabitur Sacramentum: Esigitur de necessitate huius Sacramenti, quod dicitur Sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

Responsio dicendum, quod in quolibet opere vltima consummatio suprema arti aut virtuti reservatur, sicut preparatio materie pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam, supremus autem est, a quem pertinet vsus, qui est finis artificiariorum, & epistola, qua a notario scribitur, a domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam diuinum opus (secundum illud 1. ad Corinth. 3. v. et edificatio estis) sunt etiam quasi quaedam epistola Spiritu uel scripta, sicut dicitur 2. Corinth. 3. Hoc autem Confirmationis Sacramentum, est quasi vltima consummatio Sacramenti Baptismi, ita scilicet, quod per Baptismum edificatur homo in diuinum

Aug. lib. 4. super nouum Testam. q. 44. Et de Trin. lib. 1. c. 26. tom. 3.

Vi banus 1. in epist. ad omnes Christianos. ha. de consec. dist. 5. c. omnes fideles.

Lib. 3. Epist. Episcopo in fine.

Lib. 1. cap. 31. et prin. refertur, de cons. d. 5. c. 3.

spiritualium, & confirmatur, quasi quaedam spiritualis epistola, sed per Sacramentum Confirmationis, quasi domus edificata dedicatur in templum Spiritus sancti. & quasi epistola confirmata signatur signo crucis. Et ideo collatio huius Sacramenti in Episcopi reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut in primitiua Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act. 8. Vnde Vi banus Papa dicit. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut plenius Christi inueniantur.

Ad primum ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam, que sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit B. Greg. Papa, quod simplices sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.

Ad secundum dicendum, quod Sacramentum Baptismi est efficacius, quam hoc Sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, qua est mutatio de non esse, in esse. Hoc autem Sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum, & ideo hoc Sacramentum digniori ministro committitur.

Ad tertium dicendum, quod sicut Rabanus dicit in libro de institutione Clericorum, signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte, ut in priori vntione significetur super ipsum Spiritus S. descensus ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque, ut eiusdem Spiritus S. septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis & scientie, & virtute venire in hominem declaratur. Non ergo propter dignior in partem, sed propter potentior effectum, hac vntio Episcopi reservatur.

DISPUTATIO XXXVI. & V. huius Sacramenti.

De ministro Confirmationis.



In hac disputatione supponenda sunt omnia, qua de ministris Sacramentorum in genere supra sunt tradita: supponendum deinde est, nullum Presbytero inferiorem posse esse ministrum huius Sacramenti, vt ex dicendis a fortiori constabit. Tota ergo controuersia versatur inter Presbyterum & Episcopum, de quibus breuiter dicemus, & de conditionibus ad hoc ministerium requisitis.

SECTIO I.

Vtrum solus Episcopus sit ordinarius minister huius Sacramenti?

Conc. Triad.

Ad idem in titulo illum terminum, Ordinarius, quem Concil. Tridentin. in sua definitione addi-

dit, vt abstinemus a quaestione de extraordinario ministro ex summi Pontificis dispensatione, seu delegatione, quam sectione sequenti tractaturi sumus, supponimus autem id, quod indubitatum est, Episcopum esse sufficientem ministrum huius Sacramenti, vt a fortiori patebit ex omnibus testimonijs afferendis: & ratione constat, quia potestas ad conferendum Sacramentum hoc, non est potestas iurisdictionis, sed ordinis: sed potestas ordinis est suprema in Episcopo, vt ita possit ille, quidquid inferiores possunt ex vi sui ordinis: ergo, si aliquis est sufficiens minister huius Sacramenti: maxime Episcopus. Vnde obiter infero, quemlibet Episcopum, quantum ad necessitatem Sacramenti atinet, esse sufficientem ministrum huius Sacramenti, respectu cuiuslibet hominis baptizati. Nam licet ex precepto vnusquisque teneatur non confirmare alienas oues, neque usurpare alienam iurisdictionem: tamen quia illa iurdictio non est de substantia huius Sacramenti, quod, non per modum iudicij, sed per modum cuiusdam consecrationis exercetur, ideo licet male faciat, & contra ius alterius Episcopum, qui alterius subditos confirmare eius licentia, Sacramentum tamen factum tenet, & ita quilibet Episcopus est sufficiens minister: imo addi viterius potest, certum esse, Episcopum esse necessarium ministrum huius Sacramenti, saltem necessitate precepti, vt a fortiori constabit ex omnibus dicendis. Difficultas ergo est, an sit etiam necessarius ad substantiam Sacramenti.

De hac re fuit error Vviclephi afferentis, quemlibet Sacerdotem esse sufficientem ministrum Confirmationis, vt colligitur ex Concilio Constantiensi, sess. 8. vbi hic error damnatur inter alios, & est num. 28. vt refert Vvaldensis, 2. tom. de sacramentis cap. 114. & in eundem errorem incidit Armachanus lib. 11. de quaest. Armenorum, capite 4. & Duran. in 4. dist. 7. quaestione 3. post longam disputationem, concludit numero 11. rem esse dubiam, licet probabilius sit contrarium, scilicet solum Episcopum esse ministrum, & fere idem sentit Scotus quaestione 1. & Caietanus hic & Actorus 8. censet Episcopum esse quidem necessarium ministrum, necessitate precepti, non autem Sacramenti. Refert etiam Ambrosius ad Ephes. 4. Aegyptios olim fuisse in eadem sententia. & Augustin. (vnde Vvaldens. supra refert in libro 9. q. noui & veteris Testamenti, q. 101. hac verba habet) In Alexandria & per totam Aegyptum si desit Episcopus, consignat Presbyter: tamen in emendatioribus exemplaribus, non legitur, consignat, sed, consecrat: imo (vt Vvaldens. notat) Aegyptij non proprie in hoc errabant, sed in eo, quod Sacramentum Confirmationis negabat: solumq; caeremonialem vntionem chrismaticis, qua fit in solemni Baptismo, cognoscebant, & ideo frequenter aiebant, eam non esse propriam Episcopi, sed a Presbytero etiam ministrari posse: imo etiam dicere possent, Diacono posse interdum concedi, vt constat ex supra dictis de ministro Baptismi, & ex Ambrosio 1. de Sacram. cap. 2. Refert etiam Turrianus in lib. 3. Concl. Clemens. cap. 16. ex Nicol. I. ep. ad Hincmarum Rhenensem, Græcos olim Latinos reprehendisse, eo quod prohiberent Presbyteris Chrismate baptizatorum frontes vngere. Deniq; Hier. dialogo contra Luciferianos dicit: Non ad legis necessitatem, sed ad sacerdotij honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, vt illis manus imponant. Significat ergo, hoc non esse de necessitate Sacramenti, imo nec legis diuina, sed solum cuiusdam Ecclesiasticæ consuetudinis. Vnde in nonnullis decretis solum dicitur, non licere Presbyteris, Spiritum sanctum dare per manus impositionem, vt videre licet in Concilio Hispalensi. II. cap. 7. Concilio Vvomaticensi, capit. 30. Concilio Carthaginiensi. cap. 3. & in Innoc. I. epist. 1. ad Decentium. c. 3. Est ergo hæc ad summum necessitas precepti, non Sacramenti.

Dicen-

Dicendum est tamen, solum Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis. Hæc conclusio sub his terminis est iam de fide: Nam sub eisdem est desinita in Concil. Trid. sessio. 7. Cano. 3. de Confirmatione, & eandem satis significauerat Concil. Floren. in decreto Engenij, & colligitur ex multis aliis decretis, quæ referuntur de Consec. dist. 5. quæ statim annotabimus. Ratio à priori sumenda est ex Christi voluntate, & institutione, quæ per Ecclesiæ traditionem & definitionem nobis est sufficienter proposita: congruentia vero sufficiens est; quam D. Thom. hic tradidit art. 11. Item, quia Episcopus in Ecclesia est, veluti dux in exercitu, ad quem spectat milites recipere & consignare. Item quia ad indicandum perfectum finem huius Sacramenti conueniens fuit, vt à Principibus Ecclesiæ traderetur.

Dico secundo, Episcopum non tantum esse ordinarium ministrum necessarium ex necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti, ita vt, si sacerdos simplex propria autoritate, illud tentet consecrere, nihil efficiat. Conclusio est eodem modo certa, quæ probari solet ex Act. 8. & 19. vbi soli Apostoli leguntur confirmasse fideles, quia ab aliis fuerant baptizati, quod non potuit oriri ex speciali necessitate alicuius præcepti positivi, quia nullum constat tunc latum fuisse ab Apostolis, nec sine fundamento gratis fingendum est. Ergo ortu fuit ex ipsamet institutione, nam si id non fuisset existimatum necessarium, nõ fuissent specialiter missi Apostoli in Samariam ad confirmandos baptizatos. Nec refert, si quis dicat, illam manus impositionem nõ fuisse verum, aut proprium Sacramentum Confirmationis, tum quia officium est, esse probabile, etiam quoad signum externum fuisse verum Confirmationis Sacramentum, tum etiam quia, quicquid fit de signo externo, quoad effectum & vsum, certum est habuisse vicem huius Sacramenti. Vnde potius sumitur à fortiori argumentum, nam licet in vtu chrismatism aliquid forte tunc sit dispensatum, non tamen in ministro seu conditione & dignitate requisita in persona illius.

Sed dicit aliquis, ex his locis non posse colligi, solos Apostolos tunc confirmasse fideles, quia illi soli erant Episcopi, quia etiam illi soli erant Sacerdotes, vnde potuit hoc ministeriũ illis specialiter referuari, non vt Episcopis, sed vt Presbyteris, imo multi probabiliter existimant, in primitiua Ecclesia nullos fuisse simplices Sacerdotes, præter Episcopos, quod potest colligi ex Act. 20. vbi prius dicitur Paulus mittens Ephesum vocasse Presbyteros Ecclesiæ: ad quos postea loquens, inquit: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: de quo testimonio, & de hac sententia videri potest Hieron. dial. contra Luciferia. & super c. 1. ad Titum & in epistola ad Rusticum, & epistola 85. ad Euagrium, & refertur in cap. Legimus, 93. dist. & cap. Olim, cap. Ecd. d. 56. Item Augustinus lib. 9. quæst. noui & veteris testamenti. quæst. 101. vbi hanc responsionem significat, dicens, illo facto declaratum esse, quãtum inter Diaconum & Sacerdotem distet, quia quod Philippus Diaconus dare non potuit Spiritum sanctum, missi sunt Apostoli, qui illum darent, significat ergo missos esse vt Sacerdotes, non vt Episcopos.

Sed, quidquid sit de hac sententia, nunc vt certum supponimus, dignitatem & potestatem Episcopi & Sacerdotis iure diuino esse distinctas, siue olim fuerint semper coniunctæ, siue non, vt sumitur ex Trid. sessio. 23. cap. 4. Cano. 6. & 7. Concil. Trident. Quod ergo eo tempore, quo soli Apostoli confirmabant, fideles nulli alij fuerint Sacerdotes, nullo firmo fundamento affirmari potest, quamquam etiam sit ignotum, an tunc essent aliqui Sacerdotes ordinati. Deinde traditio & communis sensus & vsus Ecclesiæ declarat, Apostolos, non vt Presbyteros tantum, sed vt Episcopos fuisse missos ad fideles Confirmandos.

Franc. Suarez Tom. 3.

dos. Vnde secundo principaliter probanda est conclusio, autoritate & definitione Ecclesiæ, nam in primis Concilium Florentinum & Tridentinum cũ docent, solum Episcopum esse ordinarium ministrum huius Sacramenti, sane loquuntur de ministro simpliciter necessario ad substantiam Sacramenti, sicut de cæteris Sacramentis loqui solemus, & de hoc loquuntur Scholastici omnes, sed præcipue vrget Concilium Tridentinum sessio. 23. cap. 4. vbi inter alias functiones proprias Episcoporum, Quarum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent, ponit hanc, scilicet Sacramentum Confirmationis conferre. Vnde Cano. 7. Anathema dicit in eum, qui dixerit potestatem confirmandi esse Episcopis cum Presbyteris communẽ: ergo in solis Episcopis est hæc potestas: ergo sunt ministri necessarij de necessitate Sacramenti, quam consecutionem apertis verbis confirmat Eusebius Papa, epi. 3. dicens: Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: & infra: Nã, si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vancium, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta. Et Melchias Papa de hoc loquens Sacramento. A maioribus, inquit, it. 1. à Summis Pontificibus, & à minoribus perfici non potest. Vnde infra maiori veneratione celebrandum esse hoc Sacramentum, quam Baptismum: & eodem fere modo scribunt Clemens Papa, Damasus, Innocentius, Leo, & alij superius citati ad confirmandã huius Sacramenti veritatem: & idem colligitur ex ca. Quanto. extra. de consuetudine, & ex alijs, quæ referuntur in decretis de consecratione dist. 5.

Et confirmatur, nam si Presbyteri ex vi suæ ordinationis haberent sufficientem potestatem Ordinis ad hoc Sacramentum ministrandum, sine causa in vniuersum prohiberentur illud conferre, dicerenturque, si hoc Sacramentum dare tentet, excedere modum suum, & quæ Episcopalis fastigij sunt propria, vlturpare, vt loquitur Gelasius Papa epistola 1. cap. 8. Denique hoc sentiunt omnes antiqui Patres, qui solis Episcopis tribuunt munus consignandi baptizatos in fronte, vt colligitur ex Clement. lib. 3. Constit. cap. 16. & epistola 4. & Dionys. cap. 2. de Ecclesiastic. Hier. Augustin. 17. de Trinit. cap. 26. & lib. quæst. noui testamenti. quæst. 42. Isidor. lib. 7. Etymolog. capit. 12. & Cyprin. epist. 73. ad Iubaian. Epiph. hæres. 21. in prin. Chrysost. homil. 18. in Acta. Beda in capit. 8. Actor. Rationes & congruentiæ sunt eadem, quæ præcedentis conclusionis: est enim veluti proprium Episcoporum munus inferiores perficere, seu perfectos Christianos constituere, perficiuntur autem hoc Sacramento, quod propterea manus impositio Episcoporum appellatur à Melch. Papa & ab Vrba. I. in capit. Omnes fideles, de consecratione. dist. 5. Ex quibus satis constat, decreta supra citata, quæ dicunt, non licere Presbyteris hoc Sacramentum ministrare, intelligenda esse nõ solum Ecclesiastico iure, sed etiam diuino: quia scilicet caret potestate & consecratione necessaria ad hoc ministerium. Hieron. autem illo dialo. contra Luciferian. (quem imitari videtur Author illius quæst. 101. noui & veteris Testamenti) ideo videtur contrarium sentire, quia non satis distinguit inter simplicem Sacerdotem & Episcopum, quoad dignitatem & Ordinis potestatem, vt latius in materia de Sacramento Ordinis tractandum est. Colligitur deinde, conclusionem hanc intelligendam esse vniuersaliter de omni Presbytero cuiuscumq; dignitatis sit, siue sit Abbas, siue alius quilibet. Hoc probant omnia adducta, & de Abbatibus id annotauit Concilium Senonense, & de Chorepiscopis idem notat Leo Papa, & alij Pontifices supra citati, erant enim illi, quoad ordinationem seu consecrationem tantum Presbyteri regulariter loquendo, vt ex dictis Patribus sumitur, & suo loco latius dicitur.

Conc. Flor. Conc. Trid.

Conc. Trid.

Euseb. Papa.

Melchias Papa.

Clemens Papa.

Damasus.

Innocentius.

Leo.

Nullus Presbyter ex vi sue ordinationis est sufficientis minister Sacramenti.

Gelasius P. p.

Clemens Dionysius.

Augustinus.

Isidorus.

Cyprinus.

Epiphanius.

Chrysostomus.

Beda.

Melchias Papa Vrbanus.

Hieron.

Leo Papa.

Episcopus...  
Conc. Trid.

Conc. Trid.

Conc. Trid.

Conc. Trid.

Conc. Trid.

Sed adhuc obiici solet illud 1. ad Timotheum 4. Noli contemnere gratiam, quae est in te per impositionem manus Presbyteri, & Actor. 9. Ananias imposuit manus Paulo, ut impleteretur Spiritu sancto, cui tamen non esset Episcopus. Secundo & difficilius ex Conc. Tolet. l. c. 20. ubi dicitur: Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo, praesente vero non, nisi ab ipso fuerit praecipitum. Vnde in Conc. Araus. l. c. 1. dicitur: Haereticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desideret, si desit Episcopus a Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placet. Et Inno. l. ep. i. c. 6. idem plane docet de Energumenis. sc. si non possint ad Episcopum referri, posse Episcopum auctoritatem dare Presbytero ad consignandos illos, seu ad imponendas eis manus. Et in c. Omni tempore, de consecrat. dist. 4. dicitur: Presbyter praesente Episcopo non signet infantes, nisi forte ab Episcopo fuerit illi praecipitum: quod etiam habetur in c. Presbyter, d. 95. quae iura supponunt, Presbyterum habere potestatem Ordinis, alias neque absente Episcopo, neque eo praesente ex praecipito eius quicquam possit efficere. Tertio potest obiici Ambros. 3. de Sacra. c. 5. dicens, spirituale signaculum & septiformem Spiritum sanctum dari ad invocationem Sacerdotis: Vnde Ignatius epist. 13. inter munera Sacerdotis ponit, manus impositionem.

Conc. Tolet.

Conc. Araus.

Innocent. I.

Ambros.

Ignatius.

Respondetur  
obiectioibus

Ad testimonia Scripturae facilis est responsio, nam in priori non est legendum Presbyteri, sed Presbyterij, vnde illa particula non designat ministrum, sed modum, seu speciem illius manus impositionis, quae non fuit Sacramentum Confirmationis, sed Ordinis. In posteriori vero testimonio non est etiam sermo de Confirmatione, sed de manus impositione curatiua seu sanatiua, vt patet: primum, quia Scriptura non dicit, Ananiam imposuisse manus Paulo ad dandum ei Spiritum sanctum, sed ait in hunc modum: Abiit Ananias, & introiit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quo veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto, & confecti ceciderunt ab oculis eius tanquam squamae & visum recepit, & surgens baptizatus est. Non ergo dicit Scriptura, Paulum fuisse per illam manus impositionem Spiritu sancto impletum, sed visum recuperasse: fuit ergo illa manus impositio pertinens potius ad gratiam gratis datam sanitatis, iuxta illud Marci vltimo. Super agros manus imponent, & bene habebunt. De inde huiusmodi signum est, quia illa manus impositio facta est ante Baptismum: Confirmatio autem fit post Baptismum, quod si quis dicat, hoc esse verum ex lege ordinaria, tamen iussu diuino potuisse Paulum confirmari, antequam Baptismum reciperet, sicut in aliis factum legimus Actorum 10. in Ceterionis domo. Respondetur primum, dispensationem hanc & inuersionem ordinis Sacramentorum, cum sit praeter legem ordinariam, asserendam non esse sine maiori fundamento, deinde, quia ratione aliquis dixerit, Paulum fuisse ab Anania confirmatum, prius quam baptizatum, speciali iussu Dei, qui ordinariam legem non abtulit, sed in ea dispensauit, eadem ratione dicere poterit, Paulum confirmatum fuisse ab Anania, quamuis non esset Episcopus, & singulari etiam iussu Dei dispensantis in hac lege de ordinario ministro huius Sacramenti. Ad do tandem, haec tenus non esse probabile, nec probari forte posse, Anania illum nondum fuisse in Episcopum consecratum.

Ad Conc.  
Tolet.

Leo Papa.  
Damas.

Ad Concilium Tolet. dicendum est, ibi non esse sermonem de vnctione Chrifti in frontibus, sed de caeremoniali vnctione, quae in vertice fit in Baptismo solemni, nam, vt ibidem dicitur, & confirmat optime Leo Papa, epist. 86. alias 88. & Damasc. Papa in epistola. olim nihil Presbytero agere licebat absque licentia Episcopi, & ideo mirum non est, quod etiam haec caeremonialis vnctio ei fuerit interdicta, nisi ex licentia Episcopi, vel in eius absentia. Vnde etiam Damascen. in vita Syluestri refert, Syluestrum

constituisse, vt Presbyter baptizatum linat chrisma te propter occasionem transitus mortis. Quod refert Hugo Victorin. lib. 2. de Sacramentis, p. 6. cap. 3. dicit: Primis temporibus omnis vnctio chrismatum per solos Pontifices nebat: sed postquam institutum est, vt baptizatum sacerdos in vertice linat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reseruatur. Quod sumptit ex Innocentio I. epistola 1. cap. 3. ubi dicit, illa actionem caeremoniale licere Presbyteris, siue extra Episcopum: siue praesente Episcopo baptizant. In quo videtur ampliare decretum Tolet. Concilij, quamquam quod dicit, (praesente Episcopo) intelligi recte potest delicta eius. Vnde ad Decret. Conc. Araus. dicendum est, non ad Conc. Araus. fuisse limitandum ad solos haereticos, alioquin non ratione extendendum ad omnes fideles in mortis discrimine positos, quando non adest Episcopus, qui eos confirmet, ideo ergo Concilium illud de haereticis specialiter loquitur, quia non agit de Sacramento Confirmationis, sed de reconciliatione solemni, qua olim ad Ecclesiae gremium recipiebantur haeretici, qui ab haeresi conuertebantur, in qua inter alias caeremonias in aliquibus regionibus, seu prouinciis adhiberi solebat quaedam vnctio, seu consignatio chrismatum, vt ex hoc loco colligitur, & ex aliis, quae infra sectione 3. asseremus, & ad eundem modum potest intelligi decretum Innocentij primi, quamquam in eo nulla fit mentio chrismatum, neque vnctionis, sed tantum consignationis, & manus impositionis, quae sine dubio non erat Sacramentum Confirmationis. Hoc enim nunquam applicatum fuit Energumenis, seu correptis a daemone in remedium, de quo ibi est sermo: indicatur ergo eo loco aliqua caeremonia, quae olim fuit in visu, quolli Episcopi vtuebantur ad expellendos daemones: Presbyteri autem & inferiores Clerici solum ex licentia Episcopi. Denique caput illud, Omni tempore, & caput Presbyter (quae distincta non sunt, nec sumpta ex Martino primo ex Concilio Romano, vt Soto putauit, sed vnum & idem sumptum ex Canonibus collectis a Martino Brachar. Episcopo Canone 52.) recte idem Soto responderet, illa non esse intelligenda de Sacramento Confirmationis, sed de caeremoniali vnctione in vertice, quae olim etiam erat prohibita Presbyteris, praesente Antistite, vt ostensum est, praefert ex Leone Papa epistola octuagesima sexta.

Ad Ambrosium & Ignatium facilis est responsio: Ignatius enim aperte loquitur de Episcopo, sic enim ait: Nihil sine Episcopis facito, Sacerdotes enim sunt. Vnde fortasse loquitur iuxta antiquam consuetudinem supra tactam, quam & refert Ambrosius ad Ephel. 4. scilicet, quod omnes Sacerdotes consecrabantur etiam Episcopi, quamuis non omnes Episcopalem iurisdictionem haberent. Ambrosius autem, quasi per antonomasiam Episcopum, Sacerdotem vocat: et enim reuera Sacerdos, & Sacerdotum princeps: nec Ambrosius ait, Spiritum sanctum dari ad inuocationem cuiuslibet Sacerdotis, sed simpliciter ac indistincte ad inuocationem Sacerdotis, scilicet principalis ac praecipui, qualis est Episcopus.

SECTIO II.

Vtrum ex commissione, vel dispensatione Pontificis possit simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare.

Ratio difficultatis colligitur ex dictis precedente sectione, nam, vt Concil. Florent. dixit, Sacramenta nouae legis tribus perficiuntur, materia, forma & ministro, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum: sunt ergo haec tria de substantia Sacramenti, & immutabilia ex diuina institutione: non ergo potest summus Pontifex aliquid in his immutare: ostensum est autem, solum Episcopum esse ministrum huius Sacramenti ex Christi institutione: ergo non potest alteri hoc ministerium committi ex huma-

humana dispositione. Et confirmatur secundo, nam hac ratione non potest Pontifex in materia vel forma huius Sacramenti dispensare: ergo neque in ministro. Tertio declaratur in hunc modum, quia vel collatio huius Sacramenti est actus essentialiter pendens à characterè Episcopali, vel non: si non, nulla est ratio, cur dicamus, hoc ministerium esse proprium Episcopi ex ordinario iure diuino: si autem id affirmetur, hoc non poterit ille actus committi ei, qui non habet characterem Episcopalem, quia non potest actio esse absque principio, à quo essentialiter pendet: hac enim ratione consecrare corpus Christi committi non potest ei, qui non habet characterem sacerdotalem, neque ordinatio Presbyteri ei, qui non habet characterem Episcopalem: alias posset etiam hoc ministerium committi non sacerdoti, quia character sacerdotalis nihil ad hoc confert per se & vi sua: alioquin etiam sine concessione vel dispensatione Pontificis conferret.

Propter hæc argumenta nonnulli graues auctores negant, ministerium hoc posse vlla ratione committi sacerdoti simplici, Adrianus in 4. in materia de Confirmatione art. 3. Durandus distinct. 7. quest. 3. & 4. vbi idem in finem Bonauent. circa litteram Magistri Scotus vero quest. 1. dubius est, & obfcurè loquitur: tenet etiam Caltro. lib. de hæresibus, verb. Confirmatio, & inclinat Petrus Soto lect. 2. de Confirmat. Caietanus vero & alij citati sect. præc. fauent huic sententia, quatenus putant, rationes factas conuincere, vel Episcopum non esse necessarium ministrum necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti, seclusa Pontificis dispensatione, vel, si Episcopus est priori modo necessarius, non posse alium loco eius substitui, etiam Pontificia autoritate.

Secunda sententia extreme contraria esse potest, vel ex parte recipientis, vel ex parte dantis hanc facultatem. Ex parte recipientis, quod non solum sacerdoti, verum etiam Diacono, vel inferioribus Clericis, possit committi huius Sacramenti collatio. Pro hac sententia citari solet Glossa in ea. Quanto, extra. de consuetudine, sed ibi solum loquitur de simplici Sacerdote. Vnde falso ei hæc opinio tribuitur à Syluestro verb. Confirmatio diuina, q. 1. qui in eandem sententiam refert Panorm. ibi dicentem, hoc munus posse committi cuiuscumque Clerico, dummodo confirmatus sit, quod etiam tenet Summa angelica verbo, Consecratio Sacrament. & refert pro hac sententia Innocent. Glossa vero in c. Manus, de Consecrat. dist. 5. videtur hanc opinionem extendere, etiam ad Laicos, dummodo confirmati sint, statuit enim generalem regulam ex facultate Pontificis, quemlibet eleuari posse ad illud sacramentum ministrandum, quod accepit: Quæ tamen regula plus est, quam falsa, & errorum plena, nullaque ratione vel autoritate fundatur, nam præter hoc, quod per se fati absurdum est, scilicet, quod Laicus confirmatus possit esse minister Confirmationis, sequitur posse simplici Sacerdoti committi, vt Sacerdotes ordinet, & Diacono, vt ordinet Diaconos, quod tamen est inauditum in Ecclesia. Ratio autem est clara, quia minister non confert Sacramentum, ratione similis Sacramenti suscepti, sed ratione potestatis ad illud ministerium concessæ, quæ tamen non conceditur per Sacramentum simile, sed per Sacramentum Ordinis, vel Episcopalem consecrationem, in qua sola datur potestas ad generandum sibi simile, vt hæc dicam. Vnde etiam fit, per se non esse necessarium ad hanc potestatem confirmandi, vt minister ipse confirmatus sit, quia ad ministrandum Sacramentum non est necesse simile Sacramentum recepisse, vt patet aperte in Extrema vnctione vel Matrimonio: & quia potestas confirmandi non datur per characterem Confirmationis, sed per characterem Episcopalem, quia per se non pendet à characterè Confirmationis, sed absque illo dari potest, suam efficaciam habere. At vero ex parte dantis

Franc. Suarez. Tom. 3.

hanc facultatem posset etiam aliquis opinari, hanc facultatem posse committi Sacerdoti non solum à summo Pontifice, sed etiam ab alijs Episcopis, huius tamen sententiæ nullum inuenio expressum assertorem, videtur tamen posse colligi ex decretis citatis in fine præcedentis sectionis, in quibus absolute & generatim dicitur, Presbyterum posse ex facultate Episcopi chrisma conferre.

Dicendum vero est primo, Summum Pontificem posse committere simplici Sacerdoti, vt Sacramentum Confirmationis rite & valide ministraret. Hæc est sententia D. Thomæ hic & in 4. distinct. 7. vbi cæteri Theologiam communiter amplectuntur. Richard. Maior. & alia. Capreolus, item Alenf. 4. p. quest. 28. memb. 1. art. 3. §. 2. Marfil. in 4. quest. 5. art. 3. Antonin. 3. part. 14. cap. 14. §. 6. Ferrar. 4. cont. gent. c. 60. & reliqui recentiores, & Summi ita omnes. Syluest. & Ang. Maior. locis supra citatis. & alij verb. Confirmatio, & Naua. Paludan. ca. 22. §. 8. Couar. l. 1. Variar. c. 10. qui refert alios Iuris peritos. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex quodam factò D. Greg. quod refertur cap. Peruenit, dist. 95. quod sumptum est ex li. 3. epist. 26. cum enim Greg. relatum fuisset in insula Sardiæ solitos fuisse Presbyteros, baptizatos confirmare, id facere eos prohibuit, vt ipse refert d. epist. & colligitur ex epist. 9. eiusdem libri, ex hac autem prohibitione cum ortum scandalum videretur, sic scribit Gregorius in prædicto textu. Nos quidem secundum vsum veterè Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hæc de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri, etiam in frontibus, baptizandos chrisinate tangere debeant, concedimus. Ex quo factò colligunt prædicti auctores, posse Pontificem facultatem hanc simplici Sacerdoti concedere. Alij autem Doctores variis modis ad hoc factum respondent. Primo quidem non verentur dicere, Gregorium vt hominem in eo factò errasse, sequendo propriam opinionem, quam probabilem existimauit. In his enim reb. quæ magis ad vnum pertinent, quam ad doctrinam, interdum potest errare Pontifex, non docendo, seu definiendo, sed operando, sic interdum dispensat in voto solemnium, vel in Matrimonio rato, sequendo probabiles opiniones, quæ fortasse in re ipsa falsæ sunt: ita ergo accidere potuit in præfenti casu. Et hæc responsionem non iudicant improbabilem Durandus & Paludanus supra, mihi tamen nullo modo probanda videntur. Primo quidem, propter eximiam Gregorij sanctitatem & doctrinam, vnde non est verisimile in re tam graui, se periculo errandi exposuisse, maxime cum dispensatio illa non vni tantum, vel alteri priuata personæ, sed integræ cuidam prouinciæ concederetur, nam error huiusmodi fuisset grauissimus, & valde perniciosus, & in re pertinente ad substantiam sacramenti. Deinde, quia Gregorius non concedit hanc facultatē verbis significantibus aliquod dubium vel probabilitatem, sed tanquam de re certa, & indubitata loquitur. Denique non legimus ante Gregorium quæstionem hanc sub his terminis fuisse in disputationem adductam, & vtrinque ortas esse opiniones probabiles, vt credamus Gregorium altera earum vti voluisse, sicut in exemplis adductis contingit: ergo nullo fundamento dici potest, Gregorium id fecisse sequendo opinionem probabilem, sed quia antiqua traditione & fortasse ex suorum prædecessorum vsu (licet scriptus non sit) intellexit, & pro constante habuit, se habere illam potestatem.

Est autem secunda responsio, quam asserunt Glossa in prædicto casu, & Scotus ac Bonauentura supra, Gregorium ibi nec dispensasse, nec potestatem aliquam concessisse: sed connixisse tantum, & quod sine scandalo vetare non poterat, permisisse. Hæc vero responsio est contra vim verborum Gregorij, non omnimodum auit, permittimus, sed concedimus, ex quo sumitur efficax argumentum. Nam, si Gregorius illo verbo in sua proprietate vsus est. Ergo non tantum factum

Mm 3 permi-

Potest Sum. Pont. committere simplici Sacerdoti facultatem confirmationis. D. Thom. Richardus. Maior. Paludan. Capreolus. Alenf. Marfil. Antonin. Ferrar. Syluest. Angellus. Nauarr. Couarr. Gregorius.

Durandus. Paludan.

Glossa. Scotus. Bonauentura.

permisit, sed etiam facultatem id faciendi concessit. Si illo autem verbo usus est ad dissimulandum, gravissime deliquit, quia non solum errorem quandam permisit, sed etiam specie suorum verborum confirmavit & auxit. Adde (quod bene Scotus notat) non potuisse Pontificem in re tam gravi errorem & abusum illius gentis dissimulare ac permittere propter tam leuem causam, qualis erat quorundam tristitia, & scandalum acceptum potius, quam datum, nam potius ad officium Pontificis pertinebat, si scandalum illud ex errore nascebatur, veritatem constanter docere, ut error, & consequenter scandalum tolleretur.

Scotus.

Tertio responderi potest ex Scoto, eo tempore Presbyteros non fuisse tantum simplices Sacerdotes, sed etiam fuisse Episcopos consecratos, quamvis non omnes haberent iurisdictionem Episcopalem, sed unus tantum in singulis civitatibus, qui per antonomasiam nomen Episcopi retinebat: & ideo ad illum solum spectabat huius Sacramenti collatio, quia vero alij Presbyteri habebant etiam Episcopalem consecrationem, ideo facile potuit Gregorius ad eos extendere facultatem conferendi hoc Sacramentum, quia hæc potius erat ampliatio quædam iurisdictionis, quam Ordinis, seu consecrationis, sicut posset nunc Papa concedere vni Episcopo potestatem confirmandi in alieno Episcopatu. Sed neq; hæc responsio potest satisfacere: quia, licet fortasse in initio Ecclesiæ solitum fuerit, simul cum dignitate sacerdotij conferre Episcopalem consecrationem, tamen illa consuetudo non longo tempore duravit, & saltem tempore Gregorij certum est, simplices Sacerdotes fuisse distinctos ab Episcopis, non solum iurisdictione, sed etiam consecratione, nam ante Gregorium dixit Eusebius Papa, Confirmationem datam à sacerdote esse irritam, & tamen si sacerdos esset consecratus Episcopus, quamvis iurisdictione careret, nihilominus Sacramentum Confirmationis ab eo datum, factum teneret. Ergo signum est, tum fuisse sacerdotes simplices sine consecratione Episcopali, & hoc est, quod Greg. ait: Et nos quidem secundum veterem Ecclesiæ nostræ consuetudinem fecimus. Hæc enim consuetudo de simplici tantum sacerdote intelligenda est, & hæc est, quæ hætenus durat in Ecclesia Romana. Deniq; Gregorius dicit se concedere hanc facultatem Presbyteris in absentia Episcopi: ergo loquitur de Presbyteris carètib. consecratione Episcopali.

Euseb. Papa.

Quarto respondet Adrianus, non loqui Gregorium de Sacramento Confirmationis, sed de aliqua alia caeremoniali vñctione, nam fortasse illi Presbyteri bis vñgebant infantes, semel in vertice, & iterum in fronte, neutram vero dabant per modum Sacramenti, sed per modum caeremoniæ: Gregorius autem prius prohibuit alteram ex his vñctionibus, quia non erat in Ecclesia vñtata, & quia fortasse non existimavit illam esse convenientem propter periculum erroris & deceptionis, quæ facile introduci poterat, confundendo illam vñctionem cum Episcopali Confirmatione. Postea vero potuit Gregor. illam caeremoniam admittere, quia non erat intrinsece mala, nec contra ius divinum, cum non esset sacramentalis: sed solum quædam umbra & significatio illius. Possimus autem hoc coniectura confirmare, nam ante concessione Gregorij vñgebant illi Presbyteri tali vñctione, non est autem credibile, fideles Presbyteros, & in regno Catholico, nec multum ab Ecclesia Romana distantem propria autoritate ministrasse Sacramentum Confirmationis, aut scandalum passuros fuisse, eo, quod Greg. talè ministerium eis prohiberet: ergo verisimile est, eam vñctionem, de qua ibi agebatur, non fuisse existimatum Sacramentum Confirmationis.

Adrianus.

Hæc vero expositio in primis est contra Concil. Florent. in decret. Eugenij, vbi cum dixisset, solum Episcopum posse conferre eam vñctionem, quæ est

Conc. Flor.

Confirmationis Sacramentum, subdit: Legitur tamè aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & virgente ad modum causa simplicem Sacerdotem christum per Episcopum confectò hoc administrasse Confirmationis Sacramentum: vbi sine dubio refert hoc factum Gregorij, nam ante Concilium Florentinum nullibi legitur, Se dem Apostolicam in hoc dispensasse, nisi in hoc facto Gregorij, aut si fortasse alibi legitur, inde sumi poterit idem argumentum efficax ad conclusionem confirmadam. Dico autem ante Concil. Florent. quia postea Gregorius tertius eandem concessisse dicitur quibusdam simplicibus sacerdotibus, qui in remotissimis regionibus infidelium versantur, in quibus non sunt Episcopi, & multi eorum, qui ad fidem convertuntur, sine hoc Sacramento decederent, si non possent à Presbyteris confirmari. quam facultatem alij dicit concessisse Adrianum VI. quibusdam fratribus Minoribus pro Indis, quæ concessio dicitur authentica haberi Hispani in monasterio sancti Francisci.

Vnde potest à simili argumentum sumi ad prædictam expositionem reiicendam, nam Gregorius I. non absolute, sed cum limitatione concedit hanc facultatem Presbyteris: Vbi Episcopi desunt: ergo signum est non agere de caeremoniali vñctione, sed de sacramentali, nam si tantum esset caeremonialis vñctio, etiam posset facile concedi in presentia Episcopi. Deniq; illa expositio omnino voluntaria est, & sine fundamento, nam Gregorius loquitur simpliciter de vñctione Chrismatis in fronte, hoc autem nomen proprium est Sacramenti Confirmationis, vt patet ex usu totius antiquitatis supra relato, neq; vñquam legitur consignationem in fronte adiunctam esse Baptismo solemni inter caeremonias eius: est ergo ibi sermo de Sacramento Confirmationis.

Vltimo ergo responderet Scotus, Diuum Gregorium per illam concessionem constituisse illos Presbyteros, eosque quodammodo Episcopos effecisse, quoad iurum actum. Sed hoc vel eodem reuoluitur, vel verum esse non potest: nam si intelligat, fecisse illos semiepis copos, quoad ordinationem, consecrationem, aut charactervis impressionem, est plane falsum, vt per se constat, quia solum fuit quædam extrinseca deputatio, quæ ad præsentem & absentes, vel postea etiam futuros, quantum est ex se, extendebatur, quæ non habet locum in ordinatione vlla vel consecratione, si vero intelligat, illos sacerdotes accepisse aliquo modo potestatem exercendi actum Episcopalem, hoc est, quod intendimus, Pontificem posse communicare hanc potestatem sacerdoti simplici sine noua eius ordinatione, vel consecratione.

Rationes ad hanc sententiam confirmandam adducuntur nonnullæ ab authoribus citatis, sed cum res pendeat ex institutione, ad illud semper recurrendum erit. Itaq; recte intelligimus, potuisse Christum Dominum instituere, vt sacerdoti simplici ex ad hoc vi sui ordinationis non daretur potestas proximæ, & postquam in actu primo (vt sic dicam) ad conferendum hoc Sacramentum, sed hæc daretur soli Episcopo per consecrationem eius, & nihilominus simul voluisset Christum, vt sacerdos ex vi suæ ordinationis esset (vt sic dicam) in potentia remota, vt adiuncta commiffione, seu delegatione Pontificis posset hoc Sacramentum conferre, in hoc enim modo institutionis nulla est repugnantia, imo posset esse magna congruentia, vt in absentia Episcopi non careant fideles aliqua via & potestate obtinendi hoc Sacramentum, & habendi sufficientem ministrum eius. Quod autem huiusmodi fuerit institutio, ostendit primo factum Gregorij supra declaratum: Secundo, Concilium Florentinum in verbis supra citatis, nam postquam dixit, ordinarium ministrum esse Episcopum, subdit: Legitur tñ, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, & significans Christum instituisse huiusmodi ministrum cum hac latitudine & extensione. Tertio idem

Can. Trid.

indicat Trident. sessione 7. Canone 3. de hoc sacramento dicens, eius ordinarium ministrum esse solū Episcopum, nam cum dicit, ordinarium, duo significat. Primum Episcopum ex vi suæ ordinationis habere hanc indelebilem potestatem, ut ipsūmet docuit sessione 23. capit. 4. secundum, ita habere Episcopum hanc ordinariam potestatem, ut tamen in Sacerdote sit capacitas ad recipiendam illam saltem ex delegatione & commissione. Quarto Concilium Senonense in decretis morū capi. 38. cum dixisset, Abbates non habere potestatem confirmandi, subdit: Quod si qui sint, qui contentant, sibi cōpetere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quod cū primum fuerint requisiti à Suffraganeis nostris de privilegio fidem facere teneantur. Vbi aperte supponit, Abbates, etiā si non sint Episcopi, sed simplices sacerdotes, ex privilegio posse hoc sacramentum conferre. Atq; hoc sensu adduci solent in huius sententiæ confirmationem quædam antiqua decreta, in quibus dicitur, sacerdotem posse vngere in absētia Episcopi, sed hæc decreta vel minimum probant vel nihil, & hoc potestatis verius est, illa enim non sunt alia, præter ea, quæ sessione præcedente tractauimus, vbi ostendimus in eis non esse sermonem de hoc sacramento, sed de aliis vitiis christianis.

Sicut facer-  
dis potest de-  
legari à Sum-  
mo Pontifici  
ad hoc sacra-  
mentum ad-  
ministrari  
1. q. 1. p. 1. 1.  
1. q. 1. p. 1. 1.

Dico secundo, nulli inferiori Clerico, neque laico posse hoc ministerium committi præterquam sacerdoti, eique non ab alio, quam à Summo Pontifice ex causa rationabili. Prima pars est D. Thom. in 4. dist. 7. quæst. 3. artic. 1. quæst. iunct. 3. quem alij sequuntur, & videtur res certa, quam ut minimum probant, & conuincunt argumenta supra adducta in fauorem primæ sententiæ, quia in his quæ sunt de substantia sacramentorum, nihil alterari, aut immutari potest à Christi institutione, sed ex institutione Christi solus Episcopus est ordinarius minister huius sacramenti, ut Concilia definiunt, solusque Sacerdos est in potestate, ut ei possit cōmitti hoc ministerium per Pontificem summum, hæc enim sola exceptio conflat nobis traditione, quæ non potest firma aut probabilis auctoritate ad inferiores extendi: ergo non est id temere faciendum. Et confirmatur, nam dispensatio in his, quæ sunt iuris diuini ordinarij, non potest fieri à Summo Pontifice, nisi in his, quæ vel ab humana voluntate aliquo modo pendet, vel in his, in quibus eodem diuino iure constat, datam esse huiusmodi potestatem, & iuxta mensuram & regulam ipso iure diuino constitutam, quæ ex vsu & traditione colligenda est, sed in presenti ordinarij ius diuinum est, ut Episcopus ministret hoc sacramentum, quod vero alteri delegetur hæc potestas, est dispensatio quædam ipso diuino iure specialiter concessa & tradita, ac vsus Ecclesiæ hæc? solum docuit, dispensationem hanc solum esse à Christo concessam, respectu simplicis sacerdotis: ergo non potest probabiliter ad alios extendi. Tamen assert optimam congruentiam Diuus Thomas, nam sicut solus Sacerdos habet directam potestatem in Corpus Christi verum, ita etiam solus habet per se & ex officio directam potestatem in Corpus Christi mysticum ad remittenda peccata, & ad ministranda sacramenta ex officio, & ideo merito simplex Sacerdos censetur capax huius potestatis saltem per delegationem, ut qui potest Corpus Christi contingere, & per sacramentum illud fidelem populum specialiter nutrire, possit etiam, deficiente Episcopo, illum confirmare, & ad Christiānam militiam preparare. Diaconus vero & consequenter quilibet inferior, cum careat prædicta potestate in Corpus Christi verum, merito reputatur ineptus ad huiusmodi ministerium, & incapax talis dispensationis. Nam ob hanc etiam causam non potest committi Diacono, ut ministret extremam unctionem: ergo multo minus ut ministret Confirmationem.

2. q. 1. p. 1. 1.

Secunda pars eodem modo videtur mihi certa,

D. Thom.

quamquam nonnulli Scholastici contrarium insinuant, eam vero significat Diuus Thomas hic ad primum, dum ait: hoc conuenire Pontifici supremo ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia: sentit ergo nullum alium habere hanc potestatem. Et idem sentit Paludanus distinctione 7. quæstion. 4. numero 20. & idem tenet Soto eadem distinctione articulo 12. ad quintum, quamquam non videatur satis consequenter loqui ad ea, quæ in solutione ad primum dixerat, ut statim annotabo. Ratio autem est supra tacta, quia in his, quæ sunt iuris diuini absolute & simpliciter, non potest dispensari, nisi iuxta modum & mensuram, ipsomet iure diuino statutā & concessam, sed hoc ius ministrandi hoc sacramentum est diuinum, & lege ordinaria concessum Episcopis, & ex traditione solum habemus summum Pontificem posse in hoc dispensare. Vnde Concilium Florentinum signanter dicit, Legimus autem per sedis Apostolicæ dispensationem, &c. Contra hanc vero partem sentit Ledesma hic, quamuis enim nobiscum doceat nunc de facto non posse Episcopos committere hoc ministerium simplicibus Sacerdotibus in suis Episcopatibus, quia hoc est eis à Summo Pontifice prohibitum, existimat tamen posse id facere stando in colore iure diuino, & seclusa prohibitione Pontificis, quia tantam habet potestatem Episcopus in sua provincia, sicut Papa in toto orbe, & ad hoc confirmandum adducit Canonem 20. Concil. Toletan. primi supra tractat. Atque idem sentire debet Soto, si talis fuit Christi institutio, qualis ab ipso describitur, dicit enim Christum statuisse, solos sacerdotes, siue ex officio siue ex commissione posse confirmare, cōmisisse autem Ecclesiæ, ut posset, prout expedire censeret, limitare, ut Episcopus vel Sacerdos sub hac vel illa conditione esset necessarius minister huius sacramenti. Ex qua doctrina necessario sequitur, potuisse Ecclesiā non limitare hanc potestatem delegatam Sacerdotis ad Summi Pontificis concessio- nem, sed eam extendere ad concessionem Episcopi. Vnde fit, stando in iure diuino: posse Episcopum hæc facultatem concedere, solumque ex censura & limitatione Ecclesiæ hoc esse Summo Pontifici reseruat. Sed uterque istorum authorum grauius deceptus est, nam in primis Ledesma nititur fundamento nimis falso & improbabilis. Multa enim potest Summus Pontifex in Ecclesia ex plenitudine potestatis, quæ non possunt Episcopi in suis dioccesibus, ut alio loco latius tractandum est. Deinde, si hoc possunt Episcopi iure diuino, vbi est illis prohibitum à Summo Pontifice, ne vtantur hac potestate? aut vbi facta est hæc reseruatio, aut iurisdictionis coarctatio? nihil enim extat de hac re Pontificium decretū. Quod si fortasse dicat, Episcopos amisisse hoc ius per non usum in primis hoc gratis dicitur, cum hoc non sit privilegium, sed ordinarij ius. Deinde hinc porius debuisset inferri, ideo Episcopus nunquam habuisse hunc usum, quia nunquam habuerunt hanc potestatem. Denique alias eadem ratione dici posset, posse Episcopos per contrariam consuetudinem acquirere ius concedendi hanc facultatem, quod fortasse Ledesma facile concederet. Imo existimat in Græcia aliquando fuisse hanc consuetudinem, ut simplices Sacerdotes confirmarent ex licentia Episcopi: quod de Ægyptiis refert Ambrosius ad Ephesios quarto, sed loquitur aperte de eo tempore, in quo Presbyteri simul ordinabantur Episcopi, nunquam ergo in Catholica Ecclesia fuit talis consuetudo, quod Episcopi concedant simplicibus sacerdotibus facultatem confirmandi, nec Concilium Tolet. quod citat, loquitur de hoc sacramento, ut supra vidimus: At vero Soto non recte explicat institutionem, primum quia ex doctrina eius sequitur, Episcopum non ex Christi institutione, sed ex Ecclesiæ determinatione, esse nunc ordinarij ministrum huius sacramenti, consequens est falsum, & contra id quod Cō-

Paludanus Soto.

Conc. Flor.

Ledesma.

Con. Tolet. Soto.

Ambrosius.



cilium Florentinum & Tridentinum indicant, dum definiunt, solum Episcopum esse ordinarium ministrum, nimirum ex institutione Christi. Secundo, quia alias potuisset Ecclesia facere, ut ordinarius minister huius sacramenti esset quilibet Sacerdos, si nullam limitationem institutioni Christi adhibuisset, consequens autem videtur etiam repugnare praedictis definitionibus. Tertio potuisset Ecclesia alijs modis praescribere hoc ministerium, ut verbi gratia, quod simul cum Episcopis aliqui essent necessarii, & ordinarii ministri, non vero alij simplices sacerdotes. Item quod potestas delegandi hanc facultatem simplici Sacerdoti, non tantum esset penes Pontifices, sed etiam penes Parochos, vel Abbates: & alia similia inferri possunt plane absurda. Verus ergo modus institutionis est supra a nobis declaratus, & iuxta illum limitata est ipso iure diuino haec potestas delegandi hoc ministerium, ut sit propria Summi Pontificis.

3. Pars probatur.

Conc. Flor.

Tertia pars conclusionis fere habetur in Concilio Florent. in illis verbis: Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa. Colligitur etiam ex dictis, nã hæc concessio est per modum cuiusdam dispensationis: omnis autem dispensatio in communi lege requirit causam rationabilem. Præterea Christus Dominus, qui voluit ordinarium ministrum esse solum Episcopum, consequenter virtute voluit, abum ministrum sine necessitate non introduci: ergo requiritur rationabilis causa. Imo hinc videtur inferri, si aliter fiat hæc dispensatio ex sola voluntate Pontificis, sine rationabili causa, non solum male fieri, sed etiam irritam esse ac nullam: quia est contra Christi voluntatem, & institutionem, & quia in vniuersum, licet in iure humano dispensatio sine causa facta teneat, quãdo est ab habente æqualem potestatem: tamen dispensatio in his, quæ pertinent ad ius diuinum, ut in voto & similibus, si fiat sine causa, non solum est illicita, sed etiam nulla: hæc autem dispensatio est aliquo modo in iure diuino, ut dictum est: sed hoc vltimum licet appareat probabile, non tamen audeo id simpliciter affirmare, ne videar iniicere scrupulũ & dubitationem, an Confirmatio facta à Presbytero ex concessione Pontificis valida sit: esset enim hoc inconueniens: & ideo simpliciter dicendum est, quotiescunque Papa concedit hanc facultatem, licet fortasse quoad praxin & vsum minus prudenter interdum faciat, nihilominus concessionem esse validam, siumque effectum habere, nam hic est conuenientior institutionis modus. Vnde in prædicto Concilio Senonensi significatur, hanc facultatem posse concedi per modum cuiusdam priuilegij, quod, ut validum censetur, nil aliud exigitur, quam quod constet esse concessum: Quod potest etiam confirmari exemplo minorum Ordinum, quos non possunt conferre simplices sacerdotes ex vi suæ ordinationis, possunt tamen ex delegatione Pontificis, quæ semper valida censetur absq; examinatione causæ. Vnde non requiritur ad valorem actionis, sed ut prudenter fiat: & ad hoc non semper requiritur causa ex necessitate aliqua vel penuria ministrorum, sed alijs ritibus & rationibus fieri potest.

Cont. Seno.

Paludanus  
Papæ et eius  
nondum  
Episcopus  
potest dare  
facultatem  
Sacerdoti ad  
ministrandum  
hoc  
sacramentum.

Solent vero hic inquiri, an Papa electus & habens iam supremam Ecclesiæ iurisdictionem; nondum tamen Episcopus consecratus possit hoc ministerium committere simplici sacerdoti, & ratio dubij esse potest, quia tunc Pontifex per se ipsum non posset confirmare: ergo nec posset alij committere, atque ita sentit Paludanus supra num. 51. Sed contrarium videtur longe probabilius: nam hæc dispensatio non est actus Ordinis, nam in hoc non superat Summus Pontifex alios Episcopos, sed est actus potestatis iurisdictionis, in qua superat pontifex alios Episcopos: ergo si Papa habet supremam iurisdictionem; quãuis nondum consecratus seu ordinatus sit, potest

hanc dispensationem concedere. Nec refert, quod per se ipsum non possit confirmare ex defectu Ordinis; nam saepe potest hoc modo vnus alteri committere, quod per se non potest facere, ut Episcopus nondum ordinatus sacerdos potest dare ius absoluenti, quamuis ipse per se absolueri non possit, & ratio est, quia huiusmodi concessio supponit in altero Ordinem necessarium ex institutione Christi, ut ei possit hæc potestas delegari, ut ipsa solum est veluti applicatio, ad quam sufficit potestas iurisdictionis. Vnde consequenter inferitur, si Pontifex electus sit simplex Sacerdos nondum consecratus Episcopus posse, si velit, & rationabilis causa occurrat, hoc sacramentum ministrare secum ipso dispensando: quia non est peioris conditionis, quamuis, moraliter loquendo, vix possit casus occurrere, in quo id fieri oporteat.

Rursus inquiri solet, an simplex Sacerdos, qui facultatem habuit à Summo Pontifice, ministrandi hoc sacramentum, possit mortuo Pontifice, illud ministrare. Videtur enim cessare virtus eius, cum sit veluti instrumentalis, pendens à Pontifice concedente facultatem. Dicendum est tamen hanc facultatem non cessare per mortem concedentis, & ideo in eo casu posse simplicem sacerdotem licite & valide hoc sacramentum ministrare, alioqui Sacerdotes hac facultate vtentes in remotissimis regionibus (pro quibus maxime concedi solet hæc facultas) fere semper essent moraliter dubij de valore sacramenti, si fortasse Pontifex, qui facultatem concessit, mortuus esset, nam hoc periculum morale est, & frequenter accidit. Accedit quod in vniuersum gratia non extinguitur morte concedentis: hæc autem facultas est gratia quædam & fauor, & ideo non cessat. Vnde etiam colligitur, quod licet fortasse cesset ratio vel necessitas, quæ mouet Pontificem ad hoc priuilegium concedendum, non statim cessat ipso facto huiusmodi facultas, nisi in ea sit expressum, ita vt sub ea conditione vel limitatione data sit, alioqui si absolute concedatur, semper durat, etiam si fortasse causa non duret, quia non pendet ab illa in fieri, & in conseruari, neque in sua substantia & valore, ut dictum est. Potest autem hæc facultas semel concessa reuocari, ita vt, sicut Confirmatio data à Sacerdote simplici prius quam habeat à Pontifice facultatem, est nulla, & prorsus irrita, ita etiam data post reuocationem facultatis prius concessæ, quia per hanc facultatem non datur aliquis Ordo, neque imprimitur aliquis character indelebilis, & ideo de se reuocari potest, sicut alia priuilegia, facta autem huiusmodi reuocatione, res constituitur in eodem statu, in quo antea erat, & ideo tam impotens manet simplex sacerdos ad ministrandum hoc sacramentum post reuocatam prædictam facultatem, quam erat impotens ante illam concessionem. De qua re legi potest Alexand. Alenf. 4. p. quaest. 28. memb. 1. art. 3. §. 3.

Ad argumenta primæ sententiæ facilis est responsio ex dictis. Dicimus enim Pontificem in hoc negotio non dispensare, neque immutare ius diuinum, sed constituere talem ministrum huius sacramenti, qualem Christus instituit, voluit autem Christus, ministrum ordinarium & ex officio esse Episcopum, extraordinarie autem posse esse simplicem Sacerdotem, auctoritate Summi Pontificis, ad hoc deputatum, hunc enim fuisse institutionis modum, probatum est ex vsu & traditione Ecclesiæ. Neque propterea hoc extendendum est ad quamcunque aliam, aut materiam aut formam sacramentorum, quia non oportet, eundem esse modum institutionis in omnibus, cum non sit in omnibus eadem ratio, vel necessitas, vel traditio, erit autem simile exemplum in minoribus Ordinibus, supponendo, quod sint verum sacramentum, nam ordinarius minister eorum est solus Episcopus, & tamen possunt ex concessione Pontificis per simplicem Sacerdotem ministrari. Atque

que hinc sit, characterem Episcopalem esse sufficiens principium huius sacramenti, & necessarium in ministro ordinario & ex officio, non tamen absolute & simpliciter, quia etiam character Sacerdotalis potest sufficere, non tamen per se, & veluti vi sua, sed quasi extensus vel applicatus per concessionem Pontificis: cum enim character non sit potentia physica, sed signaculum quoddam, induens quandam rationem moralis potentiae seu facultatis, facile intelligi potest in aliqua actione posse pendere ex concessione seu facultate morali iuxta Christi institutionem. Sed quæres, an illa sententia sit iam hæretica, & nostra sit de fide, nonnulli enim ita simpliciter affirmant, vt Ledesma hic, & insinuat etiam Soto in distinctione 7. artic. 11. dicens: Sententiam Diui Thomæ non solum esse opinionem, verum etiam Ecclesiasticam sanctionem. Fundatur autem in decreto Concilij Florentini ante quod (ait Soto) potuisse Durandum & Scotum aliud opinari: de Adriano autem miratur, quod illud non legerit. Sed non est verisimile, illud non legisse, sed fortasse tempore Adriani decreta illa Concilij Florentini non erant ita recepta, nec plena autoritate confirmata, vel certe (quod verisimilius est) non intellexit Concilium hoc definitiuisse, nam solum refert, sedem Apostolicam aliquando in hoc dispensasse, non tamen id expresse approbat, neq; habet ali- quod verbum, quod definitionem indicet, sed obiter tantum historiam attingit. Concilium autem Tridentinum (quod Ledesma citat) licet definiat, ordinarium ministrum esse Episcopum, nihil tamen de extraordinario tractat, sed rem indefinitam relinquit. Existimo ergo, nondum esse in hoc aliquid de fide, quamquam non negem, Concilium Florentinum magnam huic nostre sententiæ tribuisse auctoritatem, adeo, vt temerarium censam, contrarium vel- le pertinaciter defendere. De fundamentis autem secunde sententiæ nihil dicendum occurrit. An vero necessarium sit, simplicem sacerdotem ministratorem hoc sacramentum ex concessione Pontificis, vt christi- mate ab Episcopo consecrato, vel in hoc possit etiam cadere dispensatio, diximus supra tractando de ma- teria huius sacramenti.

SECTIO III.

*Verum hæreticus Episcopus, vel ab Ecclesia præcisus, seu prohibitus, possit esse minister huius sacramenti.*

**RATIO** dubitandi est, quia nonnulli Pontifices & Patres antiqui interdum significant, sacramentum Confirmationis datum ab Episcopo hæretico esse ir- ritum & inane. Ita significat Innocentius primus epistola 18. capit. 3. de hæreticis enim loquens: Eis solum Baptisma ratum esse permittimus: & infra: Nec dare Spiritus sancti plenitudinem possunt, quam per impietatis lux perniciam perdidierunt: Similiter Leo Papa epist. 35. c. 2. baptizatum ab hæreticis dicit, non esse rebaptizandum, sed hoc esse conferendum, q; ibi desuit, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur. & epist. 77. c. 7. dicit baptizatos ab hæreticis sola inuocatione Spiritus sancti per impositionem manus esse confirmandos, & subdit inferius rationem, vt, q; ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis sacerdotibus consequatur. Ergo ex sententia Leonis Confirmationis sacramentum ab hæreticis dari non potest. Et confirmationis, nam ita fuit semper antiqua consuetudine in Ecclesia obser- natum, scilicet, vt ab hæreticis baptizati, cum ad Catholicam Ecclesiam veniunt, per manus impositionem, i. e. sacramentum Confirmationis, recipiantur. Sic Eusebius Papa epist. 3. circa finem: Hæreticos omnes, quicumq; Dei gratia conuertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus: & subdit statim:

Manus impositionis sacramentum magna veneratio- ne tenendum est, & c. ergo loquitur de hoc sacramen- to, de quo videntur etiam loq; Concil. Arelatense pri- mum, canone 8. illis verbis: Manus eis tantum im- ponatur, vt accipiant Spiritum S. Et Arelatense II. c. 17. ibi. Cum christi-mate & manus impositionem in Ec- clesia recipi sufficit. Vnde Cypri. supponens hanc Ec- clesiæ consuetudinem, & sequens sententiam suam de rebaptizandis, ab hæreticis baptizatis, scribit in epi- 72. Eis parum esse manus imponere ad accipiendum Spiritum S. nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum: & epist. 47. videtur supponere, tanquam concessum ab omnibus, Confirmationem non posse dari ab hære- ticis: cum sic ad hominem argumentatur: Si maiestas nominis tribuunt, vt, qui in nomine Iesu Christi, vbicumq; & quomodo cunq; baptizantur inuocati & sanctificati iudicentur: cur non eiusdem Christi nomi- ne illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? Cur eadem eiusdem maiestas nomi- nis non præualeat in manus impositione, q; valuisse contendunt in Baptismi sanctificatione? Hinc etiam in Concilio Carthaginensi tempore Cypriani celebrato, Nemesianus Episcopus sic inquit. Male ergo sibi qui- dam interpretantur, vt dicant, q; per manus imposi- tionem Spiritum S. accipiant, & sic recipiantur, cum manifestum sit vtroq; sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica. significat ergo hunc fuisse eo tẽ- pore sensum Catholicorum Doctorem distinguentiũ inter Baptismum & Confirmationem, vt illum validũ esse dicerent ab hæreticis datum, non vero hãc, quod etiam significauit in libro de Ecclesiasticis dogmatib. c. 52. vbi de baptizatis ab hæreticis cum ad Ecclesiam redeunt, dicitur: Purgati iam fidei virtute confirmetur manus impositione: Sic etiam August. libr. 2. de Baptismo, capit. 7. & lib. 5. de Baptismo cap. 23. dicit, baptizatos ab hæreticis, & ab hæresi redeuntes per manus impositionem fore recipiendos.

Ratio autem reddi potest, quam Augustinus di- ctis locis tangit, quia hæretici sunt incapaces Spiritus sancti, & ideo Spiritus sanctus extra Ecclesiam Catholicam dari non potest, hoc autem sacramen- tum institutum est ad dandam Spiritus sancti abun- dantiam & perfectionem: Congruum ergo fuit, vt huius sacramenti ministerium solis Episcopis Catholicis committeretur. Nec refert, quod character seu consecratio Episcopalis sit indelebilis: Nam etiam hoc admissum, intelligi recte potest, Christum instituisse, huiusmodi characterem non sufficere, nisi in ministro ab Ecclesia tolerato in sacramentorum ad- ministracione: sicut è contrario dicebamus charac- terem sacerdotalem non sufficere per se sine facultate Pontificis ad huiusmodi ministerium: illa autem adiuncta, posse sufficere, ita è contrariò Episcopalem characterem sufficere, dummodo ab Ecclesia prohibitus, seu præcisus Episcopus non sit.

Propter hanc difficultatem nonnulli Iurisperiti docuerunt, Episcopum hæreticum, seu ab Ecclesia præcisum ita esse prohibitum ab huius sacramenti ministracione, vt, si illud tenter conferre, nihil ef- ficiat. Ita refert Castro libro secundo de iusta hæreti- corum punitione cap. 21. Couarruias libr. 1. Variar. resolutionum capite 10. numero 8. ex Glossa in capit. Accedens. 50. distin. & in capit. Degradatio, de penis in 6. quæ generatim loquuntur de quocunq; actu Ordinis factò à Clerico degradato. Hæc tamen sen- tentia erronea est, ac merito ab omnibus Doctõribus est reiecta.

Dicendum est ergo, quemcunq; verum Episcopum, quoad consecrationem, esse sufficientem mini- strum huius sacramenti, etiam si hæreticus sit, excõ- municatus, aut degradatus, ita vt non possit Ecclesia facere, quin sacramentum Confirmationis ab eo datũ sub debita forma, materia & intentione, validum sit, licet ipse peccet illud ministrando. Hanc conclusio- nem non inuenio expresse definitam, & ideo non af- fero

Conc. Arelatense.

Cyprian.

Cic Carth. Nemesianus.

Augustinus.

Ratio pro hac sententia.

Castro. Couarr.

Ledesma.

Conc. Florentini.

Contra sententiam perniciter infirmam.

Innocentius I.

Leo Papa.

Eusebius Papa.

fero absolute esse de fide. Nam licet Concil. Triden-  
 sione. Canone 12. de sacramentis in genere, definiat,  
 sacramentum datum a ministro existere in peccato  
 mortali esse validum, nihil tamen ab heretico in  
 genere definit, neque aliquid etiam specialiter de  
 hoc sacramento colligitur, tamen conclusio posita,  
 primo ex doctrina supra tradita de sacramentis in  
 genere: est enim eadem ratio de hoc, & de ceteris sacra-  
 mentis. Vnde omnia ter eibi adducta possunt facile  
 ad hoc sacramentum applicari. Secundo ex Concilio  
 Florent. & Tridentino, tum quia absolute dicunt, E-  
 piscopum esse ordinarium ministrum huius sacra-  
 menti, sed Episcopus, quamvis sit hereticus, aut qua-  
 cumque alia ratione ab Ecclesia praefusus, est verus E-  
 piscopus: ergo est etiam verus & sufficiens minister,  
 tum etiam, quia Concilium Tridense, dicit, ministrum  
 sacramenti in peccato mortali existentem esse verum  
 ministrum: ergo etiam si sit in peccato haereticus, nam  
 sicut non licet excipere peccatum adulteri, aut con-  
 cubinatus, & aliud simile, ita nec peccatum haereticus, na-  
 haec definitiones Con. doctrinales sunt, & uniuersales.

Conc. Flor.  
Conc. Trid.

Tertio, quia Ecclesia non potest auferre a Sacer-  
 dote, vel Episcopo Ordinem, seu consecrationem  
 semel datam: ergo quamvis possit prohibere usum  
 eius, non tamen potest facere: quin actus solus Or-  
 dinis ab huiusmodi ministro factus, validus sit. Cum  
 ergo Confirmatio tantum sit actus Ordinis Episco-  
 palis, non potest ab Ecclesia impediri, quo minus sit  
 verum sacramentum, etiam si Episcopus sit haereti-  
 cus vel praefusus, dummodo cetera necessaria adhi-  
 beantur. Primum antecedens certissimum est, quia  
 character sacerdotalis deleri non potest, vt dicit  
 Concil. Trid. sessio. 7. Canone. 9. & sessio. 23. capit. 4.

Conc. Trid.

Vnde quando Sacerdos deponitur, seu degradatur,  
 reuera non priuatur ipso ordine, quia non priuatur  
 caractere, sed priuatur vsu, vel etiam priuilegiis Sa-  
 cerdotalibus. Quamuis autem inter Theologos in  
 controuersia positum sit, an Episcopalis consecratio  
 imprimat characterem, vel physice augeat praexi-  
 stentem, aut tantum moraliter: nihilominus sine co-  
 trouersia ab omnibus receptum est, consecrationem  
 Episcopalem esse initerabilem, & indelebilem, vt in  
 proprio loco latius dicturi sumus. Vnde Conci. Tri-  
 dent. dicta sessio. 23. cum capit. 4. dixisset, Ordinem  
 imprimere characterem indelebilem, & ideo Sacer-  
 dotes habere potestatem Ordinis, quam amittere no-  
 possunt, statim subdit, Episcopos pertinere ad hunc  
 hierarchicum ordinem, & habere in eo gradu pro-  
 priam quandam potestatem: sentit ergo etiam illam  
 esse inamissibilem. Prima autem consequentia pro-  
 batur, quia huiusmodi actus solum pendet a potesta-  
 te Ordinis, ideo enim vocatur actus solius Ordinis,  
 vt distinguatur ab illo, qui essentialiter est etiam actus  
 iurisdictionis: vt est sacramentale iudicium, & abso-  
 lutio, quae propterea nulla est, si potestas iurisdic-  
 tionis desit, quia ab illa se pendet: actus vero solius  
 Ordinis, vt est consecratio, a sola potestate Ordinis  
 per se pendet, & ideo illa potestate durante prohibe-  
 ri quidem potest talis actus, vt licite fieri non possit,  
 non tamen potest ab homine impediri, quo minus, si  
 fiat cum ceteris conditionibus requisitis, validus sit.  
 Atque hac ratione consecratio Eucharistica facta a sa-  
 cerdote haeretico, vel quacunque ratione prohibi-  
 to, valida est. Similiter Extrema vinctio, item Ordi-  
 natio facta ab Episcopo, haeretico, seu praefuso, quae  
 propterea non iteratur in Ecclesia, vt suis locis vide-  
 bimus: ergo idem pendendum est de actu confirman-  
 di. Nam constat per se, & intrinsece non esse actum  
 iurisdictionis, cum non sit actus iudicialis, sed solum  
 consecratiuus, vt sic dicam.

August.

Quarto, est haec sententia Augustini libro. 2. con-  
 tra litteras Petilian. capite 104. ubi agens de sacra-  
 mento chrismatis, quod in genere visibilium signa-  
 colorum sacrosanctum est, dicit: esse posse in homi-  
 nibus pessimis, illudque in hoc comparat cum Ba-

ptismo & verumque dicit esse posse inter haereticos,  
 & in parte Donati, & ibidem declarat, etiam in hoc  
 sacramento distinguendum esse sacramentum ab ef-  
 fectu, vt intelligamus, quamuis coningat spiritum  
 sanctum non dari ab haereticis, non propterea negari  
 debere ab eis dari sacramentum. Vnde ex hoc loco  
 euidenter conitatur, totam doctrinam supra datam  
 & explicatam de malis ministris sacramentorum in  
 genere, ex sententia Augustini eodem modo proce-  
 dere de ministro huius sacramenti. Vnde de Ba-  
 ptismo, ca. 20. ait, Sicut sanctificatur oleum ad verba  
 quae procedunt ex ore homicidae, ita etiam sanctifica-  
 tur in haereticorum altari, quia nullis hominum fal-  
 sitatibus impeditur Deus, quo minus suis sacra-  
 mentis adesse dignetur. Vnde concludit, Baptismum, Eu-  
 charistiam, & manus impositionem, valida esse, etiam  
 per homicidas: constat autem ex omnibus libris Au-  
 gust. cont. Donat. eandem esse rationem de haereticis, quae  
 est de homicidis, & aliis huiusmodi peccatoribus.

Vltimo, si congruentius vendum est, omnes supra  
 adductae de sacramentis in genere hic habent locum  
 ne scilicet dubia & incerta sit Confirmationis veri-  
 tas, si ab interna hominis sanctitate, & a fide pendeat,  
 & alia similes: Si vero ratio a priori petatur, recur-  
 rendum est ad institutionem, & ad potestatem Ordinis  
 indelebilem, vt iam tactum est. Vnde sic potest ratio con-  
 cludi, nam iuxta doctrinam Concilii Florentini sacra-  
 menti tribus perficitur, materia, forma, & ministro.  
 Vnde fieri non potest, vt haec rite adhibeantur, & sa-  
 cramentum non perficiatur: Ergo si in presenti sa-  
 cramento adhibetur materia & forma a vero Episco-  
 po efficiatur sacramentum, quantumuis Episcopus sit  
 prauus, vel haereticus, aut praefusus.

Ad rationem dubitandi in principio positam co-  
 gitare aliquis posset, potuisse aliquos ex praedictis Pa-  
 tribus circa hoc errare, quia olim haec veritas non  
 erat adeo declarata, & intellecta, sicut nunc est. Ve-  
 rum tamen, licet de Diuo Cypriano & aliis, qui de sa-  
 cramento Baptismi ita sentierunt, id dici posset, ta-  
 men de Diuo Augustino id non est verisimile: &  
 multo minus de Pontificibus citatis, praesertim cum  
 ibi doceant Ecclesiam de re grauisima, & ad bonos  
 mores maxime pertinente, & referant Ecclesiae con-  
 suetudinem, in qua nunquam esse potuit grauisi-  
 mus & intolerabilis error, qualis fuisset, si sacra-  
 mentum hoc a ministro haeretico rite celebratum, in Ca-  
 tholica Ecclesia iteraretur. Dicendum ergo est, Patres  
 in illis locis non agere de hoc sacramento, sed de ma-  
 nus impositione reconciliatiua, quam esse distinctam  
 ab hoc sacramento Confirmationis supra ostendi-  
 mus disputatione 34. sectione. 1. & est satis expressum  
 in Concilio Hispanensi secundo capite 7. ubi dicitur,  
 non licere Chorepiscopis, vel conuersis ex haereti-  
 manus imponere, vt spiritum sanctum recipiant,  
 vel baptizatorum frontes chrismate signare, quod  
 sumptum est ex Leone Papa epistola 88. atque idem  
 colligi potest ex Felice Tertio in epistola decretali,  
 capite tertio & quarto, & sequentibus: & ex Clemen-  
 te libro 2. Constitut. capite 45. & libro 8. capite 12.  
 quibus locis fit mentio manus impositionis purga-  
 tiuae, seu reconciliatiuae, quae erat per modum conuul-  
 sam publicae poenitentiae, & absolutionis, de qua et-  
 iam loquitur Innocentius primus epistola 22. capi-  
 te 4. cum dicit, Clericos conuersos ex haereti solere  
 admitti ad communionem laicam per manus im-  
 positionem, & capite quinto declarat id fieri per poe-  
 nitentiam, & addit interdum recipi in suo gradu &  
 ordine ad clericalem communionem: quomodo et-  
 iam dicitur in Concilio Arelateni capite 12. Cleri-  
 cos conuersos ex haereti, si magnum fidei suae, & per-  
 fecte conuersionis testimonium praebuerint, posse  
 ad suum gradum & ordinem recipi per manus im-  
 positionem: non erat ergo illa manus impositio,  
 Confirmatio. Quomodo enim verisimile est, aut eos  
 fuisse denuo confirmatos, qui in sacerdotali Ordine  
 recipie-

recipiuntur, aut ordinationem hæreticorum, vt ratam, & validam receptam esse, non autem Confirmationem? Quod si dicas, non ibi esse sermonem de ordinariis ab hæreticis, sed de clericis, qui cum in Ecclesia Catholica fuerint Ordinati, in hæresin labuntur, & postea conuertuntur. Sed in primis hoc gratis dictum est, quia illa decreta absolute & simpliciter loquuntur, deinde eadem ratione dicam in aliis decretis non esse sermonem de his, qui rite confirmati sunt ab hæreticis, vt de Bonofiacis loco supra citato dicebamus, & maxime credi posset, quando alicubi dicitur, adiungendam esse huic manus impositioni reconciliatiuæ vnctionem chrisimatis, vt est in Concilio Arelateni secundo, capite 17. & apud Theodoretum libro 3. Hæreticarum fabularum capite de Nouato, vbi refert, Patres ordinasse, vt hi, qui à Nouatiana hæresi conuertebantur per vnctionem chrisimatis reciperebantur: quia Nouatiani illis, quos baptizabant, sacrum chrisma non præbebant: sic ergo in vniuersum credi potest, quod tuncque hæretici per vnctionem chrisimatis recipiebantur, id factum esse solum cum his, qui in hæresi vncti non fuerant, nam alioquin constat, non semper fuisse adhibitam vnctionem chrisimatis, cum manus impositione reconciliatiua, vt patet ex aliis decretis supra citatis. Imo neq; quando adiungebatur chrisma, erat semper sacramentum Confirmationis, sed aliqua ceremonialis vnctio, cuius signum apertum est, quia habebat etiam à simplici Presbytero, vt patet ex Conc. Araus. l. cap. 2.

Deniq; optimum argumentum est, quod hæc manus impositio, per quam conuerti ex hæresi recipiebantur, non his tantum adhibebatur, qui ab hæreticis baptizati, vel confirmati fuerant, sed in vniuersum omnibus etiam si ante lapsum in hæresin essent à Catholicis baptizati & confirmati: ergo non poterat esse sacramentum Confirmationis, alioqui dicendum esset, non solum non esse validam Confirmationem datam ab hæretico, sed etiam Confirmationem rite acceptam in Ecclesia Catholica per hæresin amitti, & ideo debere postea iterari, quod est plane hæreticum. Antecedens vero constat ex generalibus locutionibus dictorum decretorum, & ex doctrina Augustini dicto lib. 5. de Baptismo, capite 23, vbi rationem huius ceremonie reddens, inquit. Si non adhiberetur venientibus ab hæresi manus impositio, quasi extra omnem culpam esse diiudicarentur, propter charitatis ergo copulationem manus imponuntur correctis ab hæresi. hæc autem ratio generalis est, & ideo idem August. li. 3. de Baptismo c. 16. & 18. significat, hæc manus impositionem pertinere ad potestatem ligandi atq; soluendi. Vnde Cyp. epist. 10. illam coniungit cum ex omolofesi: & epist. 71. dicit huiusmodi manus imponi in poenitentiam, quod etiam dicit Crescens Episcopus Concil. Carthag. sub Cyprian. erat ergo illa manus impositio, vel ipsamet sacramentalis absolutio, si secreta & interiori foro habebat, vt publica & solemnis poenitentia, & reconciliatio facta etiam in exteriori foro Ecclesie, & de hac frequentius est sermo in prædictis decretis.

Ex his ergo satis responsum est in communi ad rationem dubitandi propositam, sigillatim vero ad singula testimonia respondendum est. Ad Innocentium respondetur ibi loqui de Ordine dato ab hæretico, quem dicit non esse ratum, non quoad substantiam, sed quoad vsum, honorem & dignitatem, & priuilegia clericalia, vt latius dicendum est in materia de Ordine, & constat ex multis, quæ tradit Gratianus l. quæ. 1. & ex verbis ipsiusmet Innocentij, scilicet. Nō videtur Clericos eorum cum sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. & postea subdit rationem supra traditam. Vnde si quis contēdat illam exclusiuam, qua dicitur (solum baptismū esse ratum apud hæreticos) & excludere omnia alia sacramenta, Et Confirmationem. Responderi in pri-

mis potest dictionem exclusiuam, non excludere concomitantia. Confirmationem autem comitari Baptismum, vt perfectionem eius. Deinde dicitur, solum Baptismum esse ita concessum hæreticis, vt ab eis & valide, & licite ministrari possit, quia est ad salutem simpliciter necessarius: & hoc modo dici etiam potest, solum Baptismum hæreticis ratum esse permitti, nam ad aliorum sacramentorum vsum simpliciter suspensi sunt, ita vt saltem non possint eis licite vti: quamdiu sunt hæretici. Quod vero ait Innocentius, hæreticos non posse dare Spiritus sancti plenitudinem, intelligendum est, iuxta supra dicta quaestione 64. dictum esse propter effectum sacramenti, quem non recipit is, qui à ministro hæretico sacramentum recipit voluntarie, & sine sufficiente necessitate, & ideo, cum huiusmodi hæretici ab Ecclesia veniunt per manus impositionem reconciliatiuam suscipiuntur, sub imagine poenitentia, & inuocatione Spiritus sancti, vt ibidem ait Innocent. Et eodem sensu loquitur Leo Papa locis in princip. citatis: Quamquam Lindanus libro quarto Panopliae, capite 27. contendat, Leonem ibi loqui de sacramento Confirmationis, præsertim in posteriori loco, quod reuera non est necessarium, quia Leo in eodem sensu loquitur, quod August. contra Nouat. Sic enim per Baptismum, & alia sacramenta datur gratia, ita etiam datur Spiritus sanctus: & hoc modo aiunt Patres prædicti, quamuis hæreticorum Baptisma sit validum, tamen non dare illis Spiritum sanctum, idcirco cum conuertuntur, eis manus imponi, vt Spiritum sanctum recipiant, non eo modo, quo datur per sacramentum Confirmationis, sed eo modo, quo per Baptismum datur. Si vero quis posteriorem locum Leonis velit de propria Confirmatione intelligere, oportet, vt limitationem adhibeat de illis hæreticis, qui non habent veros Episcopos, à quibus rite confirmantur. Et eodem modo exponendum est testimonium superius adductum ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Ad confirmationem satis iam explicatum est, qualis fuerit illa manus impositio, per quam hæretici in Ecclesia recipiebantur: & quoniam cætera testimonia ibi adducta, ex dictis facillima sunt, ad Eusebium Papam respondetur, in priori parte loqui Eusebium de manus impositione reconciliatiua, in posteriori vero de confirmatiua, neq; hoc est mirum, quia vtraq; significatio est vñtata, & illa sunt diuersa capita, in quibus Pontifex ad diuersa interrogata respondet: atq; ideo fortasse priorem vocauit absolute manus impositionem, posteriorem vero vocat, manus impositionis sacramentum.

Ad rationem respondetur, in primis solum probare, in hæreticis non habere locum effectum huius sacramenti, deinde dicitur, potuisse quidem Christū Dominum instituere ministrum huius sacramenti eo modo, qui ibi fingitur, ex vñtate & traditione Ecclesie constat, non ita instituisse, & ideo non est simile exemplum, quod ibi adducitur, nam simplex sacerdos non habet à Christo ex vi sui characteris potestatem ministrandi hoc sacramentum, sed solum per delegationem Pontificis. Episcopus vero immediate à Christo habet potestatem ministrandi hoc sacramentum ex vi characteris indelebilis, & ideo, quoad substantiam sacramenti, non pendet ab homine.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ritus huius sacramenti sit conueniens.

**A**D duodecimum sic proceditur. Videtur, quod ritus huius sacramenti sit conueniens. Sacramentū enim Baptismi est maioris necessitatis, quam hoc sacramentum, vt supra dictum est. Sed Baptismo deputantur certa tempora scilicet Pascha & Pentecoste. Ergo etiam huic sacramento ali- quod certum tempus debet presigi.

2. Præterea,

Innocent.  
Leo Papa.  
Lindanus.